

## Distinctio XVI

**/Vb 203rb; X 400a/** “Nunc de Spiritu Sancto videndum est”, etc. Postquam determinavit Magister de processione Spiritus Sancti inquirendo quid sit, hic agit de ea inquirendo secundum quos modos fit. Et circa hoc duo facit. Primo enim distinguit duos modos temporalis missionis sive processionis. Secundo vero determinat de utroque. Secunda ibi: “Et primo agamus”.

Dicit itaque primo quod nunc videndum est de processione temporali Spiritus Sancti quae missio sive donatio nominatur, quot modis fiat; et respondet quod duobus modis mitti dicitur **/Vb 203va/** Spiritus, uno quidem invisibili quo datur quotidie fidelium mentibus illabendo, altero vero visibili quo datus est aliquando in specie visibilis creaturae, sicut in die Pentecostes, et aliis vicibus multis.

Postmodum ibi: “Et primo agamus”. Incipit determinare de duobus modis missionis Spiritus Sancti; et primo de visibili, secundo de invisibili, distinctione 17: “Iam nunc accedamus”.

Circa primum duo facit. Primo namque tractat de visibili missione Spiritus Sancti. Secundo inquit an propter eam Spiritus Sanctus fuerit minoratus et possit dici minor a Patre et Filio. Secunda ibi: “Sed prius quaerendum est”. Dicit itaque primo quod impromptu est intelligere de Spiritu Sancto, cur visibiliter missus dicatur, facta est enim aliqua visibilis species creaturae, utpote columba, vel linguae igneae, vel flatus, et exsufflatio Christi, cuius quidem creaturae apparitio visibilis, et expressa dicitur apparitio Spiritus Sancti – non quod apparuit Spiritus Sancti substantia, sed ut per creaturam visibilem apparentem converteremur ad occultam praesentiam eiusdem Spiritus Sancti. Unde missio illa visibilis fit in signum et testimonium interioris et invisibilis missionis.

Postmodum ibi: “Sed prius”. Inquit Magister quare Spiritus Sanctus non dicitur minoratus propter apparitionem huiusmodi, sicut Filius dicitur minor factus propter hominis formam in qua apparuit.

Et circa hoc tria facit. Ostendit enim primo quare Filius minor dicitur propter hoc quod apparuit in homine, Spiritus autem Sanctus non minor dicitur ratione columbae in qua legitur apparuisse. Et dicit quod huius ratio est quia Filius sic missus est in homine, ut vere factus fuerit homo, assumpsit enim hominem in unitate personae, propter quod **/X 400b/** verificatur de eo, quicquid vere enunciat de homine; unde cum homo sit minor Patre, necesse est quod Filius, in quantum hominem assumpsit, dicatur minor eodem Patre; Spiritus autem Sanctus sic apparuit in columba ut non fuerit factus columba, nec eam assumpsit in unitate personae, propter quod minor non dicitur ratione columbae, aut flatus, aut ignis, aut alterius creaturae, in qua quidem apparuit, sed illam non beatificavit, coniungendo eam sibi in unitate personae.

Secundo ibi: “Notandum\* autem\*”. Addit Magister ad ea quae dicta sunt de Filio, dicens quod non solum secundum formam servi in qua apparuit homo factus dicitur minor Patre, immo etiam se ipso et Spiritu Sancto; et probat hoc ex dictis Augustini, qui dicit quod licet Christus secundum formam Dei aequalis sit Patri, propter formam tamen servi minor est tota trinitate; unde errant qui verbum illud, “Pater maior me est”, volunt referre ad Filii substantiam sempiternam in qua Patri aequalis est: sunt quidem haec referenda non ad deitatem, sed ad humanitatem assumptam, secundum quam non solum minor est Patre, immo Spiritu Sancto, et se ipso.

Tertio ibi: “Hilarius autem”. Ostendit Magister quod hanc maioritatem intelligit Hilarius secundum naturam divinam, dicens quod Pater maior est Filio, secundum auctoritatem generationis, non tamen minor est Filius, quia gignitur in eisdem donis, et quicquid est in Patre, sibi communicatur; unde est in eo auctoritas, et maioritas originis, sed non perfectionis.

Haec est sententia.

### **Utrum Spiritus Sanctus visibiliter fuerit missus.**

Et quia Magister hic agit de Spiritus Sancti visibili missione, ideo quaerendum occurrit utrum Spiritus Sanctus visibiliter debuit mitti. Et videtur quod non, illud **/Vb 203vb/** enim non debuit circa Spiritum Sanctum fieri secundum quod ipsum oportuerit minorari. Sed per missionem

visibilem oportuit minorari Spiritum Sanctum, quia Filius factus est minor propter missionem in carnem. Ergo Spiritus Sanctus non debuit visibiliter mitti.

55 Praeterea, Sapientiae 1 dicitur de Spiritu Sancto quod effugiet omne fictum. Sed visibilis ipsius apparitio non videtur aliud quam quaedam fictio, tum quia huiusmodi creaturae non videntur fuisse verae, sed fictae, illa enim columba et linguae igneae non videntur fuisse quid verum; tum quia Spiritus Sanctus omnino invisibilis est, nec potest dici apparuisse visibilis nisi fictitiae et poeticae; tum quia /X 401a/ Filius dicitur visibiliter missus propter communicationem  
60 idiomatum, quia communicatur Filio quicquid dicitur de homine propter unitatem personae, talis autem unio personalis non fuit in Spiritu Sancto respectu alicuius creaturae. Ergo hoc modo non debuit spiritus sanctus mitti.

Praeterea, sicut per visibiles creaturas declaratur Spiritus Sanctus praesentia in homine, ita et per spirituales species corporum imaginariae visas. Sed constat quod apparitio imaginaria  
65 specierum, quae facta est in prophetis, non dicitur imaginaria missio Spiritus Sancti. Ergo nec propter visibiles creaturas debet dici visibiliter missus.

Praeterea, paritas dignitatis est Spiritus Sanctus cum Filio et cum Patre. Sed Filius apparuit in homine, qui est nobilissima creatura. Ergo Spiritus non debuit apparere in columba vel igne, quae sunt irrationales creaturae.

70 Praeterea, multitudo non ducit in notitiam, sed parit confusionem. Sed Spiritus Sancti missio non ordinatur ad aliud quam ut in aliqualem naturae ipsius notitiam convertatur, ut Augustinus dicit, II *De trinitate*, capitulo 8. Ergo non debuit fieri ista missio nisi secundum unam creaturam; non igitur mitti debuit in specie columbae, ignis, flatus, et nubis.

Praeterea, aequalis meriti est Ecclesia moderni temporis cum Ecclesia primitiva quantum  
75 aliquas personas. Sed ad nullum sanctum istis temporibus visibiliter mittitur Spiritus Sanctus. Ergo nec in primitiva Ecclesia debuit visibiliter mitti.

Et confirmatur, quia nec Abrahae nec Moysi dicitur visibiliter missus, qui non fuerunt minoris sanctitatis quam multi novi testamenti.

80 **Quod Spiritus Sanctus debuit visibiliter mitti.** Sed in oppositum videtur, quia nihil irrationabiliter aut indecens promissum est a Christo, qui est ars et ratio et sapientia Dei Patris. Sed missio Spiritus Sancti repromissa est a Christo, Ioanne 17, cum ait “Expedi vobis, ut ego vadam, si enim non abiero paraclytus non veniet, si autem abiero mittam eum ad vos”; et Actuum 1 praecepit discipulis ut expectarent promissionem Patris: “Quam audistis”, inquit, “per  
85 os meum, quia Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto.” Ergo Spiritus Sanctus visibiliter potuit decenter mitti.

Praeterea, quod factum est circa Christum et Ecclesiam rationabiliter factum est. Sed Spiritus Sanctus visibiliter missus est super Christum in specie columbae, Ioanne I; et super discipulos in specie nubis in monte, cum nubes lucida obumbravit eos, Matthaeo 16; et in specie flatus cum  
90 insufflavit Ihesus in eos dicens: “Accipite Spiritum Sanctum”, Ioanne 20; in specie ignis in die Pentecostes, ut legitur Actuum 2. Igitur Spiritus Sanctus visibiliter missus est et decenter.

**Responsio ad quaestionem.** Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. /Vb 204ra/ Primo namque videndum est de visibili missione Spiritus Sancti quid sit. /X 401b/  
95 Secundo, quare sit. Tertio quot modis facta sit. Quarto, quibus et quando facta sit. Quinto de veritate rerum, in quibus huiusmodi missio facta fuit.

### Articulus Primus

**Quid sit missio visibilis.** Circa primum ergo considerandum quid sit visibilis missio Spiritus Sancti sub tribus propositionibus.  
100

Prima quidem quod visibilis missio et invisibilis, quae concurrunt circa eandem personam, non sunt duae missiones, sed eadem missio. Et hoc potest multipliciter declarari, per ea enim quae sunt extrinseca missioni non multiplicatur ratio missionis, cum nulla res multiplicetur ad multiplicationem eius quod non est de ratione ipsius; unde album, musicum, et grammaticum  
105 non multiplicant humanitatem Sortis. Sed signum visibile denotans personam Spiritus Sancti, in

quo consistit ratio visibilis missionis, et effectus sanctificationis per invisibile donum caritatis et gratiae, in quo consistit invisibilis missio, sunt extrinseca formali rationi missionis divinae personae. Dicitur namque mitti persona divina, quia determinatur ad operationem tam doni invisibilis quam visibilis creaturae; mittere vero persona quae determinat, ut secundum hoc  
 110 missio sit respectus rationis inter divinas personas, qui quidem respectus non habet pro fundamento effectum invisibilem aut visibilem creaturam, sed ipsamet personam divinam, alioquin non mitteretur ipsamet persona sed ipsae creaturae. Ergo penes ista non distinguetur missio divinae personae.

Et confirmatur, quia legati operatio etiam in humanis non est de intrinseco missionis  
 115 passivae ipsius legati, non enim mittitur operatio, sed legatus mittitur ad operationem. Consimiliter in divinis non mittitur effectus invisibilis aut signum exterius, sed persona mittitur ad operandum ista, ad sanctificandum videlicet creaturam et ad declarandam sanctificationem huiusmodi per sensibile signum.

Praeterea, licet secundum operationes ad quas fit missio posset diversificari legatio, ubi  
 120 operationes sunt disparatae, non tamen ibi, ubi una ad aliam ordinatur, quia ubi unum propter alterum, utrobique tantum unum, ut Philosophus dicit, III *Topicorum*; unde cum aliquis legatur ad inquirendum et sententiandum de aliquo negotio, non dicitur suscipere duas legationes. Sed missio visibilis Spiritus Sancti ordinatur ad demonstrandam interiorem et invisibilem missionem, ut Magister dicit in littera, et apparet in omnibus ad quos visibilis missio facta fuit,  
 125 ad hoc enim fiebat, ut ostenderetur interior eorum gratia, secundum quam Spiritus Sanctus in eis invisibiliter habitabat. Ergo visibilis et invisibilis missio non sunt duae legationes.

Praeterea, si visibilis missio haberet per se rationem missionis separata <ab> invisibili, adhuc Spiritus Sancti missio diceretur. Sed quantumcumque appareret columba super aliquem, si non esset /X 402a/ in illo gratia Spiritus Sancti, non diceretur missus ad eum. Igitur id quod prius.

Praeterea, si tolleretur invisibilis missio et participatio gratiae, non plus repraesentaret  
 130 columba Spiritum Sanctum, nec diceretur mitti Spiritus Sanctus quam Pater, cuius ratio est quia missio personae fit ad usum potestatis sibi appropriatae, ut quia ex modo emanationis appropriatur Verbo Dei eruditiva potentia, et Spiritui Sancto, qui est caritativus /Vb 204rb/ impulsus, appropriatur inflammativa potentia. Productio autem columbae vel ignis aut creaturae  
 135 alterius non appropriatur eis ex modo emanationis suae. Idcirco legatur Filius ad erudiendum et Spiritus ad inflammandum, non autem ad producendum columbam, aut aliquid huiusmodi. Oporteret autem sic fieri, si missio visibilis esset per se et distincta missio Spiritus Sancti. Igitur non ponit in numerum cum invisibili missione.

Unde considerandum quod nec gratia nec sensibile signum exterius spectant intrinsece ad  
 140 missionem Spiritus Sancti, sed sunt effectus ipsius missionis. Unde non ideo mittitur Spiritus quia sanctificatur animus, sed quia mittitur Spiritus ideo mens sanctificatur, iuxta illud Apostoli: “Caritas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis”, sicut et in humanis actus, ad quem persona mittitur, non dicitur missio, sed effectus ipsius. Unde tota ratio missionis Spiritus Sancti completur in hoc quod determinatur ad sanctificandum creaturam  
 145 voluntate communi totius trinitatis; sanctificatio vero ex hoc proveniens est effectus istius missionis. Signum autem sensibile non demonstrat immediate missionem, sed effectum missionis, qui est habundantia gratiae et plenitudo sanctitatis, propter quod unica missione Spiritus Sanctus mittitur ad effectum interiorem, qui principalis est, et effectum exteriorem, qui minus principalis est, et intentus tantummodo tamquam signum interioris. Unde et separatur  
 150 interior effectus ab exteriori in missione Spiritus Sancti, sed numquam e converso.

Secunda vero propositio est quod missio visibilis et sensibilis apparitio non sunt idem, quod patet ex duobus.

Primo quidem, quia missio supponit subautenticam et delegatam potestatem, propter quod Pater non legitur fuisse missus. Apparitio vero non supponit quod delegata sit auctoritas aut  
 155 potestas, propter quod Pater apparuit, et toti trinitati potest competere apparere.

Secundo vero, quia apparitio est extrinseca denominatio ab aliqua sensibili creatura denominante personam per modum signi; unde Spiritus Sanctus dicitur apparere sensibilibiter et visibilibiter denominative tantum ab apparitione columbae, quae sensibilis est et signum

repraesentativum Spiritus Sancti, sicut ignis dicitur apparere cum fumus tantum videtur, et sicut  
 160 apparet cernenti circum, quod sit venale vinum in domo. Missio vero non est denominatio  
 talis extrinseca, sed habitudo intrinseca personae habentis auctoritatem delegatam ad personam,  
 quae importat usum auctoritatis, quem quidem usum voluntas imperat totius trinitatis, propter  
 quod trinitas mittit; et est missio secundum hoc quaedam intranea habitudo secundum rationem,  
 /X 402b/ non extrinseca denominatio, immo extrinseci effectus sequuntur ex ea, ut dictum est  
 165 prius.

Tertia quoque propositio est quod missio visibilis Filii apparentis in carne, et visibilis missio  
 Spiritus Sancti, sunt omnino alterius rationis.

Prima namque dicitur vere visibilis, quia quicquid praedicatur de natura assumpta,  
 praedicatur de supposito assumente. Natura vero assumpta vere visibilis est, et ideo dat filio  
 170 quod sit visibilis, sicut et omnia esse sibi communicat quae competunt naturae dare per modum  
 formae. Unde dat Filio esse hominem, esse visibilem, esse risibilem, et tota trinitate inferiorem.

Secunda vero non dicitur vere visibilis formaliter, sed tantum denominative, sicut causa  
 denominatur ab effectu; sanctificatio enim interior et apparitio signi exterioris fiunt circa  
 hominem ex hoc quod datur et mittitur Spiritus Sanctus in eum. Unde missio denominatur  
 175 visibilis /Vb 204va/ et invisibilis ab effectu visibili et invisibili consequente ipsam. Propter  
 quod Spiritus Sanctus non dicitur visibilis per eam nec capit quod sit columba nec quod sit  
 inferior aut minor trinitate, quia columba non comparatur ad Spiritum Sanctum sub ratione  
 formae quidificantis, et suum esse sibi communicantis, sed in ratione effectus profluentis et  
 signi demonstrantis eius interiorem influxum in mente.

Patet igitur quid sit sensibilis missio, non est enim aliud quam missio simpliciter quae  
 nominat quandam intrinsecam habitudinem personae Spiritus Sancti ad totam trinitatem, quae  
 quidem visibilis dicitur denominative et ab effectu, quia signum sensibile est effectus ipsius, et  
 iterum denominative dicitur in ratione signati in quantum eius effectus principalis, qui est  
 sanctificatio, per aliquid sensibile designatur.

185 Et in hoc articulus primus finitur.

## Articulus Secundus

**Quare missio Spiritus Sancti debuit\* esse visibilis aliquando.** Circa secundum vero  
 considerandum est quod placuit Spiritui Sancto ut aliquando visibile signum daretur  
 190 demonstrans suam invisibilem missionem propter tres rationes.

Prima quidem sumitur in ordine ad eiusdem Spiritus Sancti personam, ut videlicet  
 demonstraretur quod persona Spiritus Sancti procedens est realiter in divinis, missae sunt enim  
 duae personae procedentes in aliquo signo sensibili, unde tota trinitas legitur se ipsam, aliquibus  
 signis sensibilibus hominibus declarasse.

195 Persona quidem Patris in voce quae intonuit: “Hic est Filius meus dilectus”; persona autem  
 Spiritus in columba quae descendit, et persona Filii in carne quam assumpsit, et ad istum finem  
 factam esse Spiritus Sancti missionem, Augustinus docet, II *De trinitate*, capitulo 8, dicens quod  
 Spiritus Sancti missio oculis mortalibus est oblata ut ex visis exterioribus commota corda  
 hominum a temporali manifestatione ad occultam aeternitatem intelligibiliter convertantur.

200 Secunda vero ratio sumi potest <in ordine ad aliquam authenticam> [ad aliquam authenticam  
 in ordine Vb] personam, et secundum hoc facta fuit super personam Christi in signum quod in  
 eo erat redundantia gratiae et virtus /X 403a/ capitis et unio personalis. Unde sicut ab aeterno  
 procedit sicut amorosus impulsus a Patre in Verbum, sic ex tempore descendit Spiritus, sicut  
 columba in ipsum, ut dicitur Ioanne 1.

205 Tertia vero ratio sumi potest in ordine ad totalem Ecclesiam, sicut enim dicit Apostolus I ad  
 Corinthios 12: “Unicuique fit manifestatio Spiritus ad utilitatem”, utile autem et necessarium  
 fuit toti Ecclesiae ut primi fundatores ipsius haberent sensibile testimonium sanctitatis et  
 veritatis, propter quod super eos congregatos in unum, Spiritus Sanctus, qui doctor est veritatis  
 et sanctitatis actor, debuit sensibiliter apparere, ut factum legitur in die Pentecostes, Actuum 2.  
 210 Similiter expediebat Ecclesiae ut auditores, non solum doctores, signo sensibili firmarentur  
 propter arduitatem et difficultatem eorum quae cadunt sub fide, et ideo sensibiliter dabatur

Spiritus Sanctus in primitiva Ecclesia, sicut legitur cecidisse super omnes qui audiebant verbum Petro praedicante Actuum 10. Legitur autem aliquando datus fuisse in testimonium sanctitatis personae, sicut de globo igneo, qui apparuit super caput sancti Martini.

215

### Articulus Tertius

**Quot modis facta sit Spiritus Sancti visibilis missio, et qualibus <creaturis> [personis Vb].**

Circa tertium vero considerandum quod Spiritus Sancti missio visibiliter demonstrata est /Vb 204vb/ in quadruplici sensibili creatura: in columba in die baptismatis, in nube in die transfigurationis, in flatu post resurrectionem, et in igne post ascensionem. Cuius quidem ratio sumi potest ex duobus. Primo quidem ex condicione divinae personae. Cum enim Spiritus Sanctus emanet ut amarus impulsus, ut dictum est saepe, amor autem divinus et est mundus, et suavis, et carus, et validus, congruum fuit ut persona emanans amore mundo et nitido appareret in specie nubis, quae impressio munda est. Unde Sapiens ait quod vapor est virtutis Dei, et emanatio sincera, et ideo nihil inquinatum incurrit. Fuit etiam congruum ut quae emanat amore suavi simplici et columbino, demonstraretur in specie columbae. Quae vero emanat amore caro, apparet in igne, quae autem amore valido, apparet in flatu, suspirio, et vento.

Secundo vero potest sumi ex fine ratio istarum missionum, apparuit enim in die baptismatis in specie columbae in signum innocentiae, quam afferebat agnus qui venerat ad tollendum peccata mundi. In die vero transfigurationis in similitudinem nubis lucidae pro signo gloriae, quia dona gratiae et gloriae Spiritui Sancto appropriantur. Post resurrectionem autem in similitudinem flatus pro signo potentiae, quae committebatur apostolis ad exsufflandum peccata; unde dictum est eis quorum remiseritis peccata remittuntur et quorum retinueritis retenta sunt. Post ascensionem vero in similitudinem ignis, pro signo efficaciae doctrinae; apparuerunt enim eis dispertitae linguae, tamquam ignis, ut linguae eorum essent affluentes et fervidae efficaci doctrina. /X 403b/

### Articulus Quartus

**Quibus et quando facta sit visibilis missio Spiritus Sancti.** Circa quartum autem

considerandum de tempore, scilicet visibilis missionis, et de personis quibus facta est missio. Primo quidem quantum ad tempus, patet quod in Ecclesia primitiva, unde nec in tempore legis scriptae aut legis naturae facta est missio, nec post adventum Christi nisi in Ecclesia primitiva; cuius ratio sumi potest considerato legislatore et considerata lege et pensato plenitudinis legislatore, quidem Christo, qui vere Deus erat, et ideo non recipiens testimonium hominum, habere debebat testimonium Dei, quod maius est Patris, quidem in voce audibili acclamantis: “Hic est Filius meus”; Spiritus vero Sancti in specie visibili columbae. Considerata autem lege, quia lex erat perfecta, et plenitudinem gratiae continens, propter quod debuit apparere donum plenissimum, quod est Spiritus Sanctus. Considerata quoque temporis plenitudine, sicut enim in plenitudine temporis misit Deus Filium suum, sic debuit in plenitudine temporis mittere Spiritum Sanctum, et primo debuit mittere Filium tamquam personam mediam, deinde\* Spiritum tamquam personam tertiam ab utroque productam. Unde tempore legis naturae aut legis scriptae non decuit missione Filii illustrari, et per consequens nec missione Spiritus Sancti; Moysi etiam legislatori sufficienter perhibuit testimonium angelus, qui legislationis extitit mediator, prout dicit Apostolus ad Galatas 3: “Quod lex per angelos ordinata est in manu mediatoris”. Similiter et lex confirmari non debuit /Vb 205ra/ per Spiritus Sancti praesentiam, sed Evangelium de quo dixit Evangelista quod lex per Moysem data est gratia et veritas per Iesum Christum facta est; unde rationabile est quod lex veritatis et gratiae confirmaretur per visibilem assistentiam Spiritus veritatis.

Secundum vero quo ad personas quibus facta est missio dubium est, cum ad apostolos facta sit <huiusmodi visibilis missio>, cur ad beatam Virginem facta non fuerit in conceptione Filii aut in nativitate vel alias? Et dicendum quod in die Pentecostae sensibilibus descendit in eam, sicut apparet ex serie textus Actuum, specialiter <tamen> non fuit facta ad eam, sicut nec ad aliam aliquam personam singularem solitarie missio facta est, sed semper in communi excepta persona Christi, in quem descendit solitarie in die baptismi. Unde ut hoc privilegium singulare

265 reservaretur Christo, numquam legitur Spiritus missus uni visibiliter soli, sed semper in  
 communitate existenti, ut patet cum nubes lucida in monte obumbravit tres discipulos simul, et  
 in caenaculo post resurrectionem exsufflavit in omnes et in die Pentecostae simul descendit in  
 centum viginti credentes, et in praedictione Petri cecidit Spiritus Sanctus super omnes.

270

### Articulus Quintus

**An res in quibus facta est missio habuerint esse apparens tantum, vel esse reale et verum,  
 et quomodo se habuit Spiritus Sanctus ad res illas.** Circa quintum autem considerandum  
 quod res in quibus Spiritus Sanctus apparuit /X 404a/ dubium afferunt, utrum habuerint verum  
 esse vel non? Videretur quidem quod linguae igneae tantum habuerint esse similitudinarium et  
 275 apparens, sicut scriptura innuit, dicens quod apparuerunt apostolis dispertitae linguae tamquam  
 ignis. Dicendum ergo ad hoc quod et columba, et nubes, et flatus, et linguae igneae habuerunt  
 verum esse reale et extra animam, alias non esset missio sensibilis, nec perenderetur ab aliis.  
 Unde tenendum secundum Augustinum, IV *De trinitate*, capitulo ultimo, quod illa habuerunt  
 corporeum et sensibile esse.

280 De columba: utrum habuerit animam sensitivam et fuerit vera avis in specie columbae?  
 Aliquibus visum fuit quod sic, et utique fuit possibile. Sed magis videtur rationabile quod fuit  
 quoddam corpus sensibile et reale, figura vero columbae et qualitatibus similibus affectatum,  
 sicut et stella quae apparuit tribus magis non fuit vera stella coelestis, sed corpus lucidum stellae  
 similitudinem habens. Irrationabile namque videtur quod columba illa in qua Spiritus apparuit,  
 285 postmodum supervixerit. Et magis irrationabile si fuit vera columba, quis eam interfecerit an  
 ipsemet Spiritus Sanctus, cum eam dimisit, aut quis alius, et cum hoc indecens esse videtur  
 quod in columba apparuerit cibo, potu, et in munditiis subiecta.

Ulterius autem considerari oportet quam habitudinem Spiritus Sanctus habuit ad res  
 sensibiles, in quibus legitur missus fuisse; quibusdam enim visum est quod habitudinem signi  
 290 tantum et quod earum productio, et motus, et translatio fieret aliquo creato spiritu mediante, et  
 angelico ministerio. Unde et Augustinus relinquit hoc sub dubio, IV *De trinitate*, capitulo  
 ultimo. Nihilominus probabiliter dici potest quod immo harum rerum productio, et earum  
 translatio erat immediate a Spiritu Sancto absque angelico ministerio; dictum est enim supra  
 quod missio Spiritus Sancti invisibilis dicitur, pro eo quod ex missione derivatur gratia  
 295 invisibilis in anima ad quam dicitur /Vb 205rb/ missus; a simili ergo debet dici visibilis, quia  
 signum visibile derivatur ab ea. Et potest confirmari, quia apparitiones veteris testamenti, in  
 quibus dicitur apparuisse trinitas, non appellantur missio Filii vel Spiritus Sancti, pro eo quod  
 fiebant ministerio angelorum res corporales administrantium et moventium; ex opposito ergo de  
 columba dicendum est secundum quam Spiritus Sanctus conceditur esse missus.

300 Et in hoc quintus articulus terminetur. /X 404b/

### Responsio ad obiecta

Ad ea ergo quae superius inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod columba in qua  
 Spiritus Sanctus apparuit, non dedit sibi quiditative esse columbam eo modo quo natura  
 305 quidificat suppositum; humanitas autem Christi dedit verissime Filio Dei esse hominem et esse  
 sensibilem; et hinc est quod per apparitionem columbae non est Spiritus Sanctus minoratus,  
 sicut Filius dicitur minor in quantum est verus homo.

Ad secundum dicendum quod in visibili missione Spiritus Sancti fictio nulla fuit, quia nec  
 fictitiae fuerunt, ut dictum est, nec Spiritus Sanctus factus est sensibilis. Sed dictus est  
 310 sensibiliter missus denominatione extrinseca, quia causa denominatur ex effectu; ex missione  
 autem Spiritus derivatum est tale signum tamquam indicium principalis effectus. Unde non  
 dicitur visibiliter missus per communicationem idiomatum, quemadmodum Filius dicitur, sed  
 tantum denominative, ut dictum est.

Ad tertium dicendum quod missio imaginaria similitudinum et specierum in virtute  
 315 phantastica prophetarum continentur sub invisibili missione, quia tales species sunt quidem  
 invisibilis effectus.

- Ad quartum dicendum quod Spiritus Sanctus non debuit hominem assumere, ut per eum appareret, nisi eum assumeret in unitate personae, quod facere non disponebat. Unde hoc est error Manichaeorum, qui dicunt Manichaeum, doctorem suum, fuisse Spiritum paraclitum et  
320 Spiritum veritatis, quem repromisit fidelibus salvator; somniant enim quod sicut Verbum unitum fuit homini in Christo, sic extitit Spiritus Sanctus unitus in Manichaeo, contra quorum insaniam invehitur Augustinus *Contra epistolam fundamenti*. Unde dicendum quod Spiritus Sanctus rationabiliter apparuit in illis quatuor creaturis propter rationes quae tactae sunt in corpore quaestionis. Et per idem patet ad quintum.
- 325 Ad sextum dicendum quod non debuit mitti Spiritus Sanctus nisi in plenitudine temporis ad confirmandam legislationem Ihesu Christi. Unde quia hodie satis confirmatum est Evangelium, cessavit rationabiliter visibilis missio <Spiritus Sancti> [*inv. Vb*]; et gratia miraculorum, nisi ad confirmationem praerogativae sanctitatis alicuius.